

1
6
516







DE AVICENNA ORATIO.

Habita in Archi-Lycæo Patavino, die x. Nov. 1676.

A CAROLO PATINO

DOCTORE MEDICO PARISIENSI,

Auicennæ librum tertium interpretante.



PATAVII, M.DC.LXXVIII.
Apud Cadorinum, Superioribus annuentibus.

Illustrissimo & Excellentissimo D.

D. PETRO MOCENICO EQVITI,

Serenissimæ Reipublicæ Venetę Senatori amplissimo, & Patauinæ Academiæ Moderatori,

CAROLVS PATINVS.



Vicennam in hac celeberrima orbis Academia ante duos annos cùm interpretari cæpissem, operæpretium duxi, de eo nonnulla proludendo disserere, quibus Auditores mei ad venerationem deflexi, faciliùs ad eius doctrinam capessendam excitarentur. Idque publici iuris facere ab amicis coactus, pagellæ tenuitatem Amplitudini Tuæ, Senator sapientissime, commendare sum ausus: non vt honore aliquo in præmium ornari desiderem, sed quia me Nominis Tui, vti cultor humillimus antea fueram, dum Angliæ, Italiæ, totiusq; orbis voces ex legationibus Tuis memorabilia gesta per orbem perfunderent, nunc Te ad Musarum præsidium ab Excellentiss. Senatu destinatum, pari venerationis obsequio frequentare contendo. Accipe igitur, Vir humanitate & sapientia clarissime, præsentem libellum, qualis qualis sit; si nullus sit liber tam malus, vt non aliqua parte prodesse possit; cuius tamen exigua forma, nisi Tuam mereatur gratiam, Tua saltem Gratia mea merita suppleat.

Quod Felix Faustum Fortunatumque Sit.



Vandoquidem data mihi est prouincia, *Patres sapientissimi, Auditores ornatissimi*, à Serenissimo Principe, penes quem eius rei potestas est, AVICENNÆ librum tertium, quem DE MORBIS PARTICVLARIBVS inscripsit, prælectionibus publicis interpretandi explanandiq; tantæ licet rei difficultas & tenuis ingenij conscientia non mediocrem afferre terrorem debeant; satius tamen esse duco, quantamcumq; temeritatis incurrere suspicionem, quàm illius obsequio deesse, cuius voluntas pro lege est, cui refragari mihi semper fuit eritque religio. Demandatum igitur munus Θεοῦ σὺν παλάμα aggressurus, operæ-pretium me facturum arbitror, si quæ ad meliorem illarum rerum intelligentiam facere mihi videntur, præfatus fuero.

Medicinæ, vti omnium bonarum artium, inuentricem Græciam Antiqui crediderunt. Et quidem vt incertas Poetarum traditiones omittamus, Apollini huius artis inuentionem tribuentium, à quo Æsculapius atq; omne Asclepiadum genus acceperit. Certior historia testis est Hippocratem, primum veterum Medicorum obseruationes, consilio plane diuino in vnum coegisse, atque inde artis quasdam regulas & præcepta formare cæpisse. Hunc longo temporis interuallo secutus Galenus alterum Medicinæ lumen, arti tantum dedit incrementi, vt extremam veluti manum imposuisse videretur. Ita princeps medendi semper habita est Græcia, donec assiduis barbarorum, Gothorum, Hunnorum, Sarmatarum incursionibus ac prædationibus, ipsa fermè barbaries inuecta, disciplinę verò atq; scientiæ sede sua deturbatæ, aliò migrare cæperunt. Ea tempestate ad Arabes confugisse Medicina videtur, quippe qui multum & studiosè volutatis Græcorum scriptis; quod in iis optimum quodque dignissimum erat, in linguam suam transtulerunt: Multa quoque emendarunt atque suppleuerunt, & egregias obseruationes plures adjecerunt, quorum omnium eximium vsum nunquã satis prædicauit posteritas. Inter hos Scriptores, familiam meritò ducit AVICENNA, cuius hodie nos suscipimus explanationem, quam priusquàm aggrediamur, è re futurum existimo, videre quisnam ille sit, cuius scripta pertractanda nobis proposuimus. Id enim prænouisse necesse est, tum ad faciliorem ipsius Autoris expositionem, tum ad scriptorum eius dignitatem atque autoritatem, tum denique ad nobilissimorum iuuenum animos ad tanti Scriptoris lectionem & auditionem assiduam vehementiùs incitandos.

Auicennam corruptè, pro Empsina, dictum docet Georg. Hier. Velschius in eo tractatu quem nuper edidit DE VENA MEDINENSI. Heben sina seu Embsina, *filium Sina* Arabibus denotat: solent enim plerique orientis populi, patrum auorumque nominibus insigniri, quo more & Septentionalis Europæ incolæ vtuntur, vt olim quoque Græci atque Hebræi.

Non desunt qui Auicennam Principem ipsum fuisse scripserunt; non quidem eo sensu quo Hippocrates & Galenus Medicorum principes, idest antistites, appellantur, sed natalium ratione. Regia quidem stirpe prognatum illum fuisse scribit commentator eius Gentilis & Raphael Volaterranus, *l.* 21. quod e sublestioris fidei scriptoribus depromptum existimamus; cùm paullo certius eius rei testimonium ad nos, nullum quod sciam, peruenerit. Quidam illum

Hispanum fuisse tradiderunt, vt Conr. Gesnerus, *in biblioth.* & Lud. Nonnius, *in Hispania*: Alii Edessenum, vt Phil. Melanchton, *tom. 3. orat.* Alii Ægyptium, vt Io. B. Montanus, *lect. 21. in sect. 2. lib. 1.* Alii Sinensem, idque ineptè, quòd filius fuerit cognominati Sinæ. Alij Pœnum, vt Valeriola: Pars denique maxima Arabem, quòd scilicet arabica lingua vsus fuerit. E Cordubensium Principum familia ortum contendunt ambitiosi quidam Hispani, tanti viri natalia sibi vindicare conantes; At illum Persam Bactrianum natum fuisse in Bocharæ suburbano pago ad Euphratem, veriùs memoriæ prodidit Sorsanus Auicennæ discipulus, qui & nobilem illum, tandemq; ad summum sui Principis fauorem euectum scribit, quem more antiquo *Regem magnum* & *Regem Regum* Βασιλέα Βασιλέων nuncupabant, vt patet ex epistolis, quæ operibus Hippocratis adjectæ sunt. Homerum, poeseos & historiæ parentem, pari contentione sibi vindicauerant septem Asiæ ciuitates eximiæ, vt è vulgari illo disticho manifestum est:

Επτὰ πόλεις διερίζουσιν περὶ ῥίζαν Ομήρου,
Σμύρνα, Ρόδος, Κολοφών, Σαλαμὶν, Χίος, Αργος, Αθῆναι.

Scilicet erat illud Heroum fatum, vt plures plerumque populi, pluresque vrbes cultum eorum reciperent; hinc & natalium honorem sibi tribuerent.

Primis vitæ annis totum se studiis tradidit Auicenna, mathematicis, metaphysicis & dialecticis; tantumque breui in omnibus disciplinis profecit, vt octodecim annos natus, ἐγκυκλοπαιδίαν composuisse feratur, prælectis Aristotelis operibus quadragies. Tandem in medicina, cuius vel ab ætate tenera summo studio flagrabat, tantos progressus fecit, vt sui nominis fama longè latèq; sparsa, a Nucho Regis filio vocatus sit, vt eum, cęterorum Medicorum ope nequicquam tentata, sanitati restitueret. Re benè ac feliciter gesta, magnis honoribus præmijsque ornatus, & ad regiam bibliothecam admissus est, nobilissimorum Medicorum scriptis locupletem, quorum intuitu ad spem sempiternæ gloriæ accensus, abiecta omnium oblectamentorum cura, in studia hæc, tota mente, omnique animi impetu cœpit incumbere. Neque verò illa seposuisse censendus est, cùm aut Principibus auxilium suum implorantibus, salutares porrexit manus, aut cùm quæ tanto labore tantaque ingenii felicitate assecutus est, scriptis commisit, quibus ille rebus maximam vitæ partem transegit.

Io. Bapt. Montanus medicinæ Professor Patauinus, a Didaco Hurtado Mendozio, Cæsareo ad Imperatorum Turcarum deinde ad Serenifs. Venetorum Rempublicam Oratore edoctus, refert Auicennam arabica lingua elegantissimũ & eloquentissimum, maxima loquendi proprietate vsum fuisse, & in publicis scholis non secus ac Ciceronem latinitati formandæ, aut Bocacium italicismo excolendo, propter singularem dictionis ornatum prælegi consueuisse. Cuius rei satis amplum testimonium profert Io. Thom Minadous Rhodiginus, Patauinus olim Professor, in Oratione quam DE AVICENNA nòbis reliquit: *Verum enim vero*, inquit, *nihil in Operibus eius extat quod amplam eruditionem non sapiat*: Sed si quid minùs compti politique occurrat, id vitio ignorantiæque Interpretum adscribendum existimamus, quos in locis facilibus multos, in difficilibus mutos confertim animaduertimus. Hoc nostrum iudicium & doctissimorum virorum autoritas confirmat, imprimis Iof. Scaligeri, eruditorum superioris sæculi facilè principis, & Gasp. Hofmanni in academia Altorfina medicinæ Professoris celeberrimi. Patet hinc manifestè satis Ebn-Hatseri calumnia, referentis Auicennam nostrum, luscum in medicina fuisse & in philosophia cæcum;

æmulationis nempe ſtimulis agitatus, quod in prouerbio fuit apud Antiquos. Ἰατρὸς ἰατρὸν μισεῖ strenuè expreſſit; Quamquam illud mendicis potiùs & cantoribus accomodare cum Heſiodo ſatius nobis videatur.

Religionem quiſque profitetur vel principis vel parentum vel patriæ, quorum omnium morem ſeruauit Auicenna noſter, ſi tamen religio nuncupari debeat inepta impuràque Mahumeti ſuperſtitio. Vtinam quo cultu Alcoranum venératus eſt, eodem ſacroſancta Euangelia coluiſſet. *Pietas ad omnia vtilis*, inquit Apoſtolus Paulus, quæ philoſophum omnem decet, at maximè medicum, qui ſua veluti eſſentia plus eſſe debet: probitas verò abſque pietate, nudum cenſeatur ac inane nomen, qua vtraque decoratur egregiè medicus; ſic enim euadet verè medicus, ideſt vir probus medendi peritus. Qualis circa cultum diuinum fuerit Auicenna noſter facilè perſpiciemus ex primis eius verbis, ſic enim Opus ſuum orditur: *Imprimis Deo gratias agamus, ſicuti ſui ordinis celſitudo, & beneficiorum eius multitudo meretur; cuius miſericordiæ ſuper omnes prophetas exiſtunt, &c.* An Mahumetani vocem agnoſcitis, Auditores, an Chriſtiani? Religioſi viri eſt de Deo benè ſentire, de quo ſatis reuerenter nullus vnquam poteſt loqui, teſte Seneca: at continuò ipſi gratias agere, tum ob accepta beneficia, tum ab accipienda, id non niſi Chriſtianum ſapere videtur. Maxima autoris noſtri erga Deos reuerentia ex eius μετὰ τῶν φυσικῶν libris apertè demonſtratur. *Illud operum mortalium initium ſemper fuit honeſtiſſimum, quo ei gratias agimus, qui nobis agendi gratias virtutem elargitus eſt*, inquit Auicenna, *lib. de anima, in proemio.*

Temeritatis ſeu libertatis nimiæ accuſari non debet ob Deum in ordine collocatum, qui ſupra omnes ordines eſt, & ſolus eſt qui eſt; Siquidem orientales philoſophi, ſubſtantias intellectuales quintuplicis faciebant ordinis. Deus primum conſtituebat, cuius nomine optimum ens comprehenditur, maximum, infinitum, æternum. In ſecundo numerabantur Angeli, diuinæ voluntatis miniſtri: Ἄγγελος ἀπὸ τοῦ ἀγγέλειν, *à nuntiando*; hinc εὐαγγέλιον; hinc, *Beati pedes euagelizantium pacem, euangelizantium bona*. Prophetæ quaſi profatores, *à prædicendo*, προφῆται ἀπὸ τοῦ προφῆσαι, hunc ordinem ſequebantur. Quartus locus viris ſapientibus conceſſus eſt, bona verba prudenter excipientibus. Demùm vulgus, quod cùm diſcere multò minùs docere nequeat, miror inter ſubſtantiales intelligentias eſſe conſtitutum; *Odi profanum vulgus & arceo*, inquit Horatius.

Sed ad Auicennam reuertor. Statura fuit procera, corpore robuſtiſſimo, & immenſis laboribus ſuſtinendis pari. Proſperima vſus eſt valetudine, quæ nonniſi effreni veneris intemperantia labefactata eſt, cuius tandem aſſiduo exhauſtus vſu, proſtratiſque facultatum viribus, obijt annum agens LVIII: cùm amplas quas reliquerat opes, inter pauperes diſtribui ſuprema voluntate iuſſiſſet. Sepultus eſt in ciuitate Chamedan, non procul ab Euphrate, anno R.S.H. MXXXVI.

Ad Auicennæ commendationem non parum momenti afferre videtur ipſorum temporum quibus vixit barbaries; ſiquidem ſepultas cum artibus & ſcientiis Muſas velut è mortuis excitaſſe dici poteſt. Conſtat enim barbarorum victorijs, maximè Gothorum, ad extrema redactum fuiſſe imperium Romanum, cuius incrementum ac vigor parem dederat diſciplinis ſortem; toga omni in ſagum verſa, iacuere Muſæ, in exilium actæ bonæ artes. Axioma militare eſt, eos eſſe terræ dominos qui mari imperant, neque minùs verum eſt, iſtis in locis regnare

Apollinem amœnioraque Numina, quos à belli furore tutas præstat aurea tranquillitas. Oderunt Musæ vastationes, strages, incendia, pace ac otio delectantur. Tot erant præterlapsa sæcula, à quibus Appellis aut Myronis, Policleti & Zeuxidis, vt nomen sic fama perijsse credebatur: Aristotelem, Hippocratem, Galenumque vixisse nesciebant homines: Viri denique, aut sapientia aut rerum gestarum gloria illustres, eoque immortalitatem maximè meriti, ruentis imperij fatum imprimis senserant: Politiores perinde ac ornatiores linguæ, græca & latina, penè perierant, cùm ecce medias inter litterarum ac litteratorum hostes, vt sidus nouum prodijt Auicenna noster, non genio tantùm ad studia natus, sed & fauore Principis sui animatus. Persiam paucis Litteratis spectabilem fuisse historiæ docent, quò Auicennæ nostri gloria, ex patria insolita felicitate maior exurgeret.

Nunc de eius Operibus aliquid addendum. Totam medicinam scriptis suis illustrare, & ex Antiquis collectam in compendium redigere sibi proposuerat; qua in re Hippocratem æquasse, Galenum etiam superasse videtur. Ille siquidem artem per ænigmata, reprehensus hoc nomine à Galeno, tradidit, & semina artis potiùs quàm artem reliquit. Hic verò in libro *Artis medicæ*, multa prætermisit Medico omnino necessaria, qualia sunt, *de elementis, de humoribus, de spiritibus*, quin etiam *de excrementis, de prognosi & de medicamentis*. Quæ omnia ab Autore nostro ita diligenter examinata sunt, vt quemadmodum Galenus, primus ab Hippocrate ob immensam doctrinam meritò audit, non minori iure, Auicenna Galeni æmulus habeatur. Non veritus est Vopiscus Fort. Plempius in academia Lonaniensi medicinæ Professor, quique Auicennam nostrum latinè loquentem fecit, hunc comparare Diuo Thomæ, sicut Galenum Diuo Augustino, & Hippocratem cum sacris litteris; magna tamen paruis comparando & sacra profanis. Quemadmodum enim & Lex & præcepta salutis nostræ in his continentur; ita nos docet Hippocrates & *Legem* & artis medicæ fundamenta: Sicut deinde sacram doctrinam fusè explanauit Episcopus Hipponensis, pari modo Pergamenus Æsculapius hippocratica dogmata sententiasque exposuit. Tandem vt D. Thomas copiosa illa D. Augustini volumina in pauciora contraxit, atque in decentem ordinem digessit: non secus Auicenna diffusam illam Galeni doctrinam in compendium reduxit, illo ordine qui nunc in scholis prælegitur.

Totum opus in quinque dissecuit partes: prima theoretica est & practica; φυσιολογικὴν, παθογνωμονικὴν, σημειωτικὴν illa continet, hæc verò ὑγιεινὴν & θεραπευτικὴν, quibus tota medicina conclusa esse videtur: Secunda pars agit *de medicamentis simplicibus*. Tertia *de morbis particularibus* à capite ad calcem. Quarta *de morbis toti corpori communibus*, quales sunt febres. Quinta demum *de compositis medicamentis*.

In hunc ordinem multos impetum fecisse animaduertimus, quos omnes vna veluti claua contudisse videtur Auerroes, dum ineptam ac exigui momenti esse harumce rerum disceptationem pronunciauit: præter quem facilè auctorem nostrum à calumnia vindicabimus. Ab hominis natura incepit, quam & Virginem seu integrã, & à morbis violatam, non interrupta tractatione describit. Consultò de medicamentis simplicibus priusquàm de particularium morborum curatione differit; ne quorum crebra in curandis morbis futura erat mentio, in iis prorsus rudes essemus. De industria iis non coniunxit compositorum medicamentorum doctrinam, quòd eorum compositio ex particularium morborum

complicatione pendeat. Morbos autem particulares generalibus antepofuit; refolutoria scilicet methodo, eademque qua artes inuentæ sunt, ex obseruatione singularium ascendendo ad generalissima. Vt vt sit, nolim eos condemnare, qui priùs de febribus morbisque communibus tractarunt, sufficiat aliter & faciliùs Auicennæ visum fuisse.

Tam vastæ eruditionis tantæque ingenij amplitudinis fuisse fertur, vt præter Opera medica, multa philosophica conscripserit: *Epistolas* præterea *familiares*, *Thesaurum in explanatione nominum, tum herbarum, tum lapidum: De animalibus*; carmina etiam *De anima* atque *De sanitate tuenda* memorat Petr. Texeira Lusitanus, *in historia Regum Persiæ, lib. 1. c. 35.* Auicennam plurima vulgaris tradunt quæ apud nos non exstant, ac inter ea libros xx. *De musica* quos Persæ vocant *Musicam Abuali*. Hæc, opinor, παρέργως ab Auicenna scripta quibus animum artis nostræ grauissimis meditationibus fatigatum recrearet, & ad vlteriorem laborem prouocaret. Id enim, si cuipiam licet, maximè Medico condonetur, inter ægros, vt plurimùm, naturæque pereuntis incommoda versanti.

Libros suos conscripsit arabica lingua, verborum copia matronam, scilicet persicam, longè superante. Illos diuisit in *Fen* & canones. *Fen* partem significat, sed eam tantum perfectam: sic brachium, corporis humani pars est perfecta, cuius imperfectionem nemo comprehendat, nisi cùm ad corpus retulerit. Quare *Fen* neque sectionis neque capitis, neque alio vllo latino vocabulo rite explicatur. Feliciùs Græci τω μορίω, quo sensu Aristoteles sua problemata εἰς τὰ μορία distinxit. Canon ἀπὸ τοῦ χαίνειν dicitur, à dirigendo: Hinc qui iuxta morum & doctrinæ æquilibrium instituti sunt, *Canonici* dicuntur: hinc alii, celebriori duplicique appellatione *Canonici regulares* vulgò nuncupantur.

De Auicennæ commentatoribus quædam subjungere nihil vetat. Gerardus Carmonensis Hispanus, opera eius arabicè conscripta, latinitate donauit eleganti, Basileæ impressa, MDLVI. dignus qui à Ios. Scaligero commendaretur. Io. Quinquarboreus professor linguæ sanctæ Parisiis, partem eorum ex hebraico traduxit, editam an. MDLXX. A Ios. Scaligero ex arabica lingua latinam versionem elegantissimam factam fuisse fama est, quam equidem certò confirmare non ausim. Multos in promptu habeo qui tanti operis partes tantùm aggressi sunt. Iac. Mutinum Hebræum, Andr. Gratiolum Salodianum, Hier. Ramusium Venetum, Io. Iac. Mannum, Petr. Kirstenium Vratislauiensem, Athan. Kircherum Fuldensem Soc. Iesu, & N. Vaterium Normanum Gallum. Partes quippe luculenter adimpleuit omnes supra nominatus Plempius; Apud eum enim & quod verborum interpretatio requirit & eorum expositio, nihil vlteriùs postulant: Impressus est eius Auicenna, Louanii, MDCLVIII.

Nollem porrò tanti Auicennam æstimari, vt aliorum artis coryphæorum gloriam præriperet: gaudeant quique suis honoribus, leganturque omnes cum delectu. Optimè enim admonuit Galenus bonos omnes veritatis amore rapi, ac si Numine afflati forent, quæ nonnisi maximo cum labore atque felicitate se exhibet. Errare humanum est, neque Auicennam aut quemlibet alium ita laudandum esse arbitror, quasi nunquam errauerit. Auerroes illum sæpissimè à vero declinasse docet circa res naturales; tum quòd inexpertus aliquando scribit, tum quòd nimiùm suo tribuat genio. Quin & Hippocratē falsò citasse accusatur, hæc docens, *Fen. 4. cap. 1.* ad tertianæ exquisitæ curam: *Quando cibus in stomacho acescit, potus aqua hordeacea cesset, quæ non est concoctu facilis: Et si*

necessitas vrgebit, iungamus ei radicis apij decoctum, sed frigidiori stomacho. Vbi non vehemens febris, sed impura est, modicum piperis suffragabitur; vt consuluit Hippocrates: Neque enim illud consilium exstat in operibus Hippocratis. *Fen.4. cap.* 1. Helleborum album cum nigro & cum agarico confundit: cicutam cum euphorbio & hyoscjamo; illa tamen frigore solo necante; vt euphorbio, calore: membra hoc summopere excitat, stupefacit cicuta: de quibus consulatur Dioscorides, Plutarchusque, *in Phocione & Socrate*. Hyosciami quidem vires euinci lactis potu, & præcipuè asinini, docet purissimæ latinitatis scriptor C. Celsus: cicutæ verò, vino meraco; quæ quidem maximam eorum differentiam constituunt. Napello, qui idem quàm aconitum est, perniciosissimi veneni vires tribuit Auicenna, *can.* 2. *cap.* 8. quem tamen liniendum & bibendum eodem capite ad albaras delendas exhibet, *fen.6.can.4.c.34.* Viscum quo falluntur aues, ἰξὸν Græcis, inter venena recenset, vocis similitudine deceptus, cùm ἰξίαν describeret. Quibus eius sortis quamplurimis factum est, vt & neglectus & spretus aliquando sordidè iacuerit, *Galenique simia & recentiorum falsum idolum*, a Leon. Fuchsio nuncupatus fuerit. Semota qualibet animi occupatione, placeret Auicennam legi, cæterosque è quibus naturæ cognitionem, qua fieri poterit, luculentissimam hauriemus: Ijs porrò omnibus nonnisi prudenter & cautè fidem adhibeamus: Neruus quippe est sapientiæ, non temere credere.

Nolim hìc dissimulare in quo mihi Auicenna maximè culpandus venit. Farrago illa medicamentorum ab Arabibus passim prodita suspicionem iniicit, illos tantis conatibus, Græcorum remedijs detraxisse vt ita famæ suæ consulentes, vel in hominum perniciem propria sua stabilirent. Pudor enim isque maximus optimi cuiusque medici præcordia peruadit, attentè legentis quæ morbis omnis generis præscribunt Auenzoar, Razius, Serapio, Hali-Abbas, Mesue, eorumque sequaces. Ad nauseam certè & plantas & succos & pilulas & trochischos & pulueres & syrupos congerunt; quasi πολυφαρμακίας amplitudine, præparationis nominumque diuersitate, minùs fallerentur ægroti An vt pharmacopæis placerent, quas scriberent fabulas, an tetræ illi cuiuscunque eruditionis caligini plura condonauerint, quàm recta ratio postularet, nolim hìc definire. Neque enim aut viros litteratos verum nescientes vltrò vituperare cuperem, aut illa infamare præsidia quæ pluribus possunt essent saluti Media via tutiores ibimus, persuasi Auicennam in regionibus orientalibus calidissimis & siccissimis, medicamenta expertum fuisse hominum naturæ regendæ accomodatissima. Arabiam quippe & Ægyptum, præstantissimorum simplicium esse feracissimas, perpetim decantauit antiquitas, cujus famæ illecebris decepti Auicennæ discipuli, plus iustè tribuerint. Ea omnia non vt scripta sunt, sed vt operantur apud nos, prudenter ac eruditè perpendamus: Sic & Authorem nostrum à calumnia vindicabimus, & generis humani saluti consulemus.

Hæc sunt quæ præmittenda sum arbitratus Auicennæ interpretationi, securæ cynosuræ instar vobis futuri, Præstantissimi φιλίατροι; Illo enim duce ac gubernatore, vestrorum studiorum nauem tutò procellis academicis committere poteritis, & ad optatum eruditionis portum peruenire: Fauentibus præsertim tot aliis huius cœli sideribus, quibus quo eritis propiores, eò clariores, doctiores & sapientiores euadetis. Suffundor fermè rubore, cùm me in eorundem consortium cooptatum animaduerto; at tenuitatis meæ conscius, quod industriæ deest, diligentia assidua, & affectu meo erga Vos maximo, totis viribus reparare conabor.

DIXI.